



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXII. De Collusione detegenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

municatio ferendæ sententiæ. *can. 10. 12. q. 1. & can. 15. q. 7. caus. 26.* Apud Clericos autem annualis vel longior suspensio. *c. 2. h. t.* aut depositio. *can. 4. seqq. q. 5. cit.* quæ in *can. 15. cit.* vocatur degradatio, nimirum verbalis. De Jure Civili erat vel publicatio bonorum, vel supplicium capitale, vel etiam ignis, pro qualitate personarum & gravitate delicti. *l. 3. & 5. cit.* Si Sortilegium conjunctum est cum Hæresi, incurruntur quoque Hæreticorum pœnæ. *c. 8. ff. sanè de Hæret. in l.*

Dico 3. Pœna Sortilegii Magici, seu Magici, de Jure Civili est gladius. *l. 5. cit.* Constitutio Petri Caroli V. *art. 109.* facit discrimen; si est cum damno tertii, pœnam ignis, si sine damno, pœnam arbitrariam, v. g. relegationis, vel pro exigentia circumstantiarum etiam mortis. De Jure Canonico incarceratio, censuræ &c. contra Clericos autem degradatio, & traditio Curie Sæculari tradit P. Reiffenstuel *n. 14. h. t.* Punitio nem autem Laicorum Magorum ferè relinquit Curie Sæculari Ecclesiasticus Judex.

## TITULUS XXII.

### *De Collusione detegenda.*

### SUMMARIUM.

1. *Quid sit Collusio, & quibus in causis habeatur.*
2. 3. *Qua circa eam sint partes Judicis.*

**C**ollusio est occulta conventio vel concordia inter Accusatorem & Reum in causis Criminalibus eum in finem, ut delictum maneat



maneant impunita; ut si accusator veras probationes subdolè omittat, vel exceptiones falsas pro veris admittat, & tunc vocatur *Pravaricatio*: aut si ante sententiam dolosè à lite desistat, & nominatur *Tergiversatio*. In causis Civilibus, in præjudicium tertii non cedentibus, & ubi agitur de privato interesse, locum non habet inter personas principales, Actorem & Reum; quia his licitum est transigere & concordiam facere (excepta causa Matrimoniali, *c. fin. de transact.* & Beneficiali, ut est casus *in c. 3. h. t.*) cum agatur tantum de interesse privato; secus est in Criminalibus, in quibus interesse publicum subversatur, cum interfit Reipublicæ, delicta non manere impunita, atque ideo Partes transigere, sicut in causa Matrimonii dissolvendi, & beneficii vel pensionis ex eo per fraudem obtinendæ, non possunt. Interim etiam in causis Civilibus locum habet Collusio (quæ tamen potius est crimen falsi. per *l. 1. §. 1. ff. de Pravaricat.*) apud causarum patronos, Advocatos & Procuratores, si nimirum hi vel inter se, vel cum clientis sui adversario colludant, proferendo eidem secreta causæ, vel omittendo probationes efficaciores, aut admittendo exceptiones irrelevantes seu futes.

Dico 1. Si Judex advertat Collusionem, potest 2  
imò ex officio tenetur inquirere in delictum, & procedere. *c. 1. 2. h. t.* Imò, licet Reus per sententiam jam esset absolutus, ea non est ita firma, ut de novo, ubi de Collusione constiterit, Accusatio vel Inquisitio institui non possit. *c. fin. eod. l. 11. C. de Accus.* cum talis sententia sit nulla. per *l. 3. ff. h. t.*

Dico 2. Pœna Collusionis præter infamiam 3  
est



est arbitraria. l. 1. 2. 4. ff. de prævaricat. In Beneficialibus privatio Beneficii. c. 3. cit.

## TITULUS XXIII.

## De Delictis Puerorum.

## SUMMARIUM.

1. Pueri, Infantes, Puberes qui dicantur.
2. 3. Pueri, & Minores delinquentes quomodo puniantur.
4. An pater pro filio in are plecti possit.

**I** **N**omine Puerorum hic maximè veniunt puberes, qui septennium egressi necdum impleverunt 14. ætatis annum; nam ante septennium completum dicuntur *Infantes*, & præsumuntur necdum doli esse capaces, qui ad delinquendum requiruntur, propter defectum usque rationis, atque ideo nec propriè puniri, sed solum castigari, sicut amentes & furiosi, possunt, ut apprehensione doloris stimulentur, ut faciant, & committant, quod oportet. Completò autem 14. annò vocantur *Puberes, Adolescentes, vel Minores*, usque ad 25. annum ætatis completum. Sciant præterea DD. in Criminalibus, & in ordinibus ad pœnas propter delicta infligendas, magis æquiparari fœmellas, ita ut usque ad annum 14. habeantur pro impuberibus. Quæstio hic delibenda est, an Pueri, si delinquant, & quomodo puniendi sint.

2. Dico 1. Pueri propter delicta omnifrontali Pœna non sunt afficiendi. 2. & si iniuriæ suat proximi, nimirum uno tantum vel alio